

Matthaeus Volland Johann Grambs

Collegii Logici Disputatio V. De Qualitate Et Caeteris Praedicamentis

Rostochii: Kilius, 1642


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729607801>

Druck Freier  Zugang



Ru. phil. 1642

Voland, Matthias,
Collegii logici disputatio
2-11



כְּשֵׁם הַשְּׂמִי
COLLEGII LOGICI
Disputatio V.

DE
QUALITATE ET
CÆTERIS PRÆDICAMEN-
TIS,

Quam
PERMISSU
Amplissimæ Facultatis Philosophicæ
In Alma Rosarum

SUB PRÆSIDIO
M. MATTHÆI VOLANDI,
Mœno-Francofurtani S. S. Theol.
Studiofi,

*Præstantissimis & literatissimis suis Dominis
Collegiis proponit ventilandam Respondens*
JOHANNES OXENBERG/
Mœno-Francofurtanus.

Ad diem 24. Februarij Anno 1642.



ROSTOCHII,
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. XLII.



Collegij Logici
DISPUTATIO V.

De

QUALITATE ET CÆTE-
RIS PRÆDICAMENTIS.

Thesis I.



He primò omnium solliciti sumus de definitio-
ne ipsius qualitatis in genere, Ubi variæ sese of-
ferunt definitiones: Alij enim ita definiunt:
Qualitas est accidens absolutum, adjunctum sub-
stantia, creatæ, ad complementum perfectionis
ejus, tam in existendo, quàm in agendo. Alij
Qualitas est forma, per quam substantia est efficax. Verùm quod at-
tinet priorem definitionem reponimus, multas esse qualita-
tes quæ non perficiunt suum subjectum, adeoq; non pertinent ad
complementum perfectionis ejus, ut sunt calor excessivus in
aqua, & omnia vitia moralia virtutibus opposita, quæ quidem qua-
litates sunt, sed tamen non perficiunt suam substantiam. Est igitur
prior definitio in adæquata. De posteriori definitione etiam
hoc imponendum est, eandem non competere omni qualitati.
Nam figuræ nõ competit, per eam enim substantia non est efficax.
Figura enim est determinatio quantitatis, At ut quantitatis ita ejus
determinationis quoq; non est aliqua efficacia, alias definitiones
lubens hîc prætereo. Nos igitur retinebimus illam definitionem
Aristotelis cap. 8. in prædicamentis positam: Qualitas est, qua qua-
les quidam dicuntur. Vel Qualitas est accidens absolutum, à quo
substantia dicitur qualis. Dicitur autem accidens absolutum, un-
de discernitur à cæteris prædicamentis subsequituris & in hoc attri-
buto convenit cum ipsa quantitate, quæ etiam est absolutum acci-
dens.

A

13

dens. Deinde quando qualitas per respectum ad substantiam definitur, tūm id fit propter relationem transcendentalem, quæ est communis omni accidenti: Omne enim accidens habet respectum ad substantiam, ut ad subjectum suum. Præterea additur, quod secundum qualitatem substantia dicitur qualis, quò ipso intelligitur ipse effectus formalis qualitatis; Siquidem per quantitatem substantia dicitur extensa, non qualis, per relationem dicitur ad aliud, & sic etiã per cætera prædicamenta res non dicitur qualis. Secundum qualitatem substantia ergo dicitur qualis primò & per se & in se.

II. Hæc definitio non est essentialis, sed est descriptiva. Nam definitio essentialis debet constare genere accurato Logico & differentia specifica: at qualitas est genus summū ideoq; non habet aliud genus supra se, & ita accuratè definiri non potest sed debet aliquo modo describi. Deinde hanc definitionem esse descriptivam exinde etiã manifestum evadit, quia traditur per effectum formalem qualitatis, & traditur per ea, quæ sunt priora, & nobis notiora, ignotiora tamen & posteriora natura. Traditur autem hæc definitio per quale, quod est nobis notius, & prius qualitate, primò quia est magis compositum: at compositiora sunt sensibus magis familiaria, nobisq; notiora, secundò quia notior nobis est Metaphysicus, vel Logicus, quàm Metaphysica vel Logica.

III. Ut hæc definitio rectiùs intelligatur, notandum etiã hîc est alias qualitates denominare suum subjectum cum additamento & secundum quid, ut *Æthiops est albus, intellige juxta dentes*, alias verò qualitates denominare suum subjectum absolute absq; additamento ut *paries est albus*.

IV. Ut autem qualitas aliqua simpliciter & absolute subjecto suo tribuat appellationem & denominationem, requiritur ut insit eadem *satis intense*, id est in sufficiente gradu, qui à contraria qualitate non supererur. Sic aqua illa non potest calida salutaris, quæ constat duobus gradibus caloris, & 4. gradibus frigoris, sed potiùs frigida dicitur. 2. Ut *satis extense* insit, id est, majori subjecti parti. Sic Æthiops non est albus absolute sed secundum quid sc: dentes, sed lac potest denominari à sua albedine album absolute, quia albedo inest omni parti subjecti, adeò ut rectè dicam absq; additamento

mento: *Lac est album*. Si tamen qualitas talis sit, quæ certam aliquam totius partem peculiariter pro subjecto suo sibi vendicet, etiam absoluta fit denominatio. Ut *absolutè* vocamus *aliquem crispum, vel simum*, etiam si tantùm *juxta capillos* crispitudo, & *juxta nasum* finitas eidem tribuatur. 3. Uti in fit satis protense hoc est, satis diu. Requiritur ergò hic notabilis aliqua temporis differentia; Hinc per perturbationes citò fluentes non dicimur quales. Sic metu pallens, non est pallidus vocandus, nec qui pudore affectus est, & ob id ipsum erubuit, ruber est salutandus, sed potiùs non nihil perturbatus appellatur.

V. Licet omnis qualitas denominet subjectum suum vel absolute vel secundùm quid, hoc tamen non semper fit nomine concretive ab abstracto derivato, sed interdum cognata vox ob carentiam terminorum vel etiam descriptio quædam adhibetur & adhiberi debet, quod ipsum cum primis in attributione specierum sensibilem & intelligibilem observandum est. Sic *δοτότης ἀπερίας* nemo dicitur ἀπερίας, quia hæc vox usu recepta non est: sed *στεινότης*. Sensus etiam à recepta specie visibili rubedinis vel viriditatis dici non potest ruber vel viridis, uti nec intellectus à conceptu leonis leoninus dicitur, sed specie rubedinis vel viriditatis, aut æqui à se recepta informatus denominatur. Sed tamen pleræq; qualitates propria sua concreta denominativa habent. Ut à calore calidum à doctrina doctum, ab albedine album aliquid denominatur.

VI. Hactenus ea, quæ ad veram hujus accuratioremq; definitionis intellectum pertinere videbantur, attulimus, nunc etiam ea quæ alias contra hanc definitionem adferri solent, considerare minus necessum est.

VII. Objici hinc potest & objicitur: 1. Quòd hinc definiatur ignotum per æquè ignotum, & ita posset jam institui argumentatio: Ubi definitur ignotum per æquè ignotum, ibi non verà traditur definitio. Sed hinc, (cùm qualitas definitur per quale) definitur ignotum per æquè ignotum. E. hinc (cùm qualitas definitur per quale) non traditur verà definitio Major est perspicua. Nam definitio est declaratio rei, vel essentia, at illa declaratio fieri debet non per obscura sed per clara & perspicua, quæ aliquem in ipsius rei cognitio-

gnationem deducere possit. Minor etiam manifesta esse videtur. Nam æquè obscurum est, quid sit quale, quàm quid sit qualitas. Resp. negando nomine & ejus probationem. Siquidem quale est concretum, qualitas autem est abstractum, at conereta, utpote magis composita semper nobis sunt notiora, quàm abstracta, quæ sunt simplicia. Compositum enim nobis notius est quàm simplex. Sic corpora naturalia cum sint composita magis quàm intelligentiæ, ideoq; notiora sunt nobis quàm Spirituales illæ essentia, quæ tantam compositionem non habent. Hinc etiam Deus plenè & comprehensivè ob summam suam simplicitatem cognosci à nobis non potest. Præterea quale dici, est effectus qualitatis, ut formæ accidentalis, at effectus nobis notiores sunt causis, quod ipsum eruditorum punctis calculisq; satis superq; comprobatum est. In super hinc notandum est, definitionem esse vel accidentalem vel essentialis, & aliquid esse notius vel natura vel nobis. Essentialis definitio fit per naturâ notiora, accidentalis autem per notiora nobis, hæc autem definitio de qualitate est accidentalis, ideo etiam debuit tradi per ea quæ nobis sunt clariora.

Objiciunt ulteriùs, quòd difficillimum cognitu fit anne res denominetur qualis aliqua denominatione nec ne. Ut cum homo appellatur amans vel videns, hinc incertum est, anne fiat denominatio qualis nec ne. Sic cum homo dicitur sapiens, in creaturâ quidem fit denominatio per Quale, non autem in Creatore. Item dum res dicitur alba est denominatio Qualis, cur ergò non erit, cum dicitur de albata, aut quodnam hujus rei discrimen assignari potest? Resp. 1. probabilius esse illas denominationes (quando homo dicitur videns vel amans) non à qualitate esse, sed ab actione, quia sunt à participiis, quæ significant actus suorum verborum. 2. Definitio nostra de qualitate, divinæ sapientiæ non competit, cum qualitas sit accidens prædicamentale, at nullum accidens prædicamentale in Deum cadit, alias enim compositio caderet in Deum-realis, cum omnis omninò compositio à Deo longissimè removeri debeat; Deus enim est ens simplicissimum. 3. Res dicitur alba, ab intrinseco aliquo accidente quod inhaeret in suo subjecto, at dealbata dicitur veluti ex aliquo adjacente, quod
se nom

se non ad modum qualitatis, sed ad modum habitus id est adiacen-
tia unius ad aliud habet.

Poterit hinc & talis formari objectio: Si qualitas ita est defini-
enda, quod sit hujus modi accidens, juxta quod dicimus quales, pari-
tatione etiam quantitas definiri debet quod sit accidens, à quo
quanti dicamur, & relatio à qua relati denominemur, sed posterius
videtur esse in congruum: Non enim vel Aristoteles Philosopho-
rum Phœnix vel alius unquam ita definivit; E. etiam prius in con-
gruum est, cum qualitas definitur per quale. Resp. posterius non
est uti proponitur, in congruum. Nam à quantitate rectissime de-
nominamur & denominari possumus quanti, & fortassis etiam id
non incongrue dicitur, Relatio à qua relati dicimur: Quia
uti Qualitas est definita per suum effectum formalem, ita & quan-
titas & relatio possunt definiri per suos effectus formales, vel dice-
re possumus, in qualitate nullum alium effectum esse, quàm reddere
substantiam qualem, ac proinde per hujusmodi effectum fuit illa
definita: at in quantitate præcipuus effectus est reddere substan-
tiam divisibilem, & in relatione referre ipsam ad suum terminum.
Et ob hanc causam non fuit qualitas definita, à qua quanti dici-
mur, & relatio, à qua relati nominamur, sed fuit quantitas & Me-
taph. c. 13 per divisionem definita. Quæ dividi potest in ea, quæ
insunt quorum unum quodq; vel utrumq; natum est, hoc aliquid
esse: Et relata definiuntur: Quorum tota vis & natura in eo posi-
ta est, ut ad aliud referantur.

Possent & hic hæc proponi objectiuncula. Ab *ἀρετῇ* non dici-
mur quales, neq; enim *ἀρεταῖσι* vocamur, nec etiam à perturbatione
rubei denominamur. At *ἀρετῇ* & perturbationes veræ sunt qua-
litates. E. non bona erit qualitatis definitio. Resp. etiam si à vir-
tute vel *ἀρετῇ* non denominemur quales, dicimur tamen quales eo-
ipso quo denominamur virtutis studiosi vel amatores. 2. Licet à per-
turbatione non nominemur quales absolutè & simpliciter secun-
dum quid tamen quales denominamur. Nam eo ipso quo aliquis
roseo rubore propter pudorem suffunditur, rubeus est & dicitur ex
accidenti saltem, licet non secundum naturam.

VIII. Quatuor sunt species qualitatis quarum singula duobus exprimitur vocabulis, ut Habitus & dispositio, &c.

Questio
29.
Obiect.
forma.
figura.
Obiect.
IX. Contra numerum quaternarium insurgere videtur ipse Philosophus I. Categ. c. 8. §. 16. Fortassis (inquit) & quidam alius qualitatis modus esse videbitur, sed hi sunt qui maxime in usu versantur. Resp. Si verba Aristotelis rectius perpenderentur, dubitare solum asserere id videtur, plures sc. esse qualitatis species, quam quatuor. Dubitat fortè modestiæ ergò quia nondum noverat vel invenerat rationem, cur non possint esse plures species quam quatuor. Dices. octo sunt species. E. non sunt quatuor. Resp. Habitus & dispositio nō distinguuntur specie sed differunt secundum magis & minus, prout habitus est qualitas firmiter radicata in subiecto suo, dispositio verò minus firmiter radicata est in subiecto suo. At quæ differunt secundum magis & minus, illa non differunt specie. 2. Potentia & impotentia etiam non differunt specie quia itidem hæ duæ qualitates differunt secundum magis & minus. Impotentia enim est nihil aliud est quam potentia naturalis, sed debilis vel debilitata. Sic 3. Patet etiam de paribili Qualitate & Passione quia & hæc differunt per majorem vel minorem durationem, quæ discrimen specificum inferre non potest. 4. Deniq; manifestum hoc ipsum etiã est de forma & figura per quæ modus determinans quantitatem intelligitur, istum a. modum significat forma, prout in substantia naturali hæret, figura autem prout à substantia naturali Mathematicæ abstracta sumitur. Abstractio autè non facit realem & specificam diversitatem. Dico 3. Habitus sunt relationes, uti inquit Aristoteles 7. Phys; contex 17. sed si habitus dicuntur relationes, non intelliguntur veræ relationi sed relationes secundum dici vel relationes transcendentales, quæ etiam sunt in terminis absolutis. Oppones IV. Nulla est partium oppositio, quia prima species aliquando coincidit cum secunda, secunda cum tertia & sic deinceps. Resp. illud tantum fieri materialiter, ad divisionis autem bonitatem etiam membrorum distinctio & oppositio formalis sufficit.

X. Nuac pede felici & ordine progredimur ad explicationem & definitionem specierum qualitatis, & primò quidem agemus de habitu & dispositione.

XI. De:

XI. Definitur. *Habitus est qualitas permanens & de se stabilis in subiecto, per se primò ordinata ad operationem, non tribuens primam facultatem operandi, sed eam adjuvans & facilitans.* Ita Svarecz. disp. 44. sect. 1. num. 6. definit. Hanc definitionem ut intelligamus, fufius paulò de eadem dicendum est. *Dicitur 1.* Qualitas permanens & de se stabilis in subiecto, ut ita distinguatur ab ipsa dispositione, quæ quidem ad tempus aliquod permanens est, sed tamen nondùm firmiter radicata qualitas in subiecto existit. *(2.)* Ab actibus intellectus, qui dependent ab actuali influxu, & ita cessante influxum eo, non permanent. Sed tamen quando de habitu dicitur quòd sit difficulter mobilis de suo subiecto, non impossibilitas ipsius habitus amissionis, sed potius difficultas statim videtur. Nam multos integros habitus amisisse, historiarum monumentis satis superq; constat. *2.* *Habentur in definitione hæc verba per se primò ordinata ad operationem.* Ita convenientia quædam habitus & potentia naturalis minuitur, in quibus respectus est ad operationem. Nam potentia naturalis est prima vis agendi, habitus autem est potentia naturali superstructus, & ita potentia secunda & superaddita ideo. *3.* *Dicitur. Non tribuens primam facultatem operandi, sed eam adjuvans & facilitans.* Habitus enim præsupponit illam facultatem primam vel naturalem, cui superstrui potest, ut deinde omnes operationes per habitum superstructum potentia vel facultati primæ in subiecto aliquo facilitentur, ita ut subiectum deinde promptè & expedite absq; molestia operari incipiat. Sic potentia naturalis est discurrendi, quæ etiam est in omni rustico, sanæ mente prædito sed ut aliquis erudite promptè & expedite discurrat, id habet per habitum Logices, & ita res ex multis aliis exemplis declarari vel sexcentis potest. Dispositio est qualitas facile mobilis à subiecto illudq; perficiens per modum actus secundi. Hæc definitio ex dictis facile patet. *Dicitur 2.* est qualitas facile mobilis à subiecto, & ita discernitur ab habitu, quæ difficulter moveri potest à subiecto suo. *2.* Additur perficiens per modum actus secundi, ut ita rursus distinguatur ab habitu subiectum suum perficiente per modum actus primi, non autem per modum actus secundi.

XII. Dividitur habitus: Est vel infusus vel acquisitus. Infusus est, qui aliunde infunditur, & illa infusio fit ab intrinseco aliquo

aliquo agente, vel à Deo, unde habitus illi infusi. *Fides, Spes, Charitas*, vel ab objectis, ut sunt species *intelligibiles & posibles*, vel ab homine ut est *peccatum originale*. Acquisitus est, qui nostris laboribus acquiri potest, ut *scientia, sapientia*. Et hinc discrimen inter habitum infusum & acquisitum constat: *Acquisitus fit per actionem propriam agentis, in fusus autem per actionem alienam.*

vel infus.

in moralis vel
his.

habitu acquisitis
moralibus qd?

XIII. *Habitus acquisitus est vel moralis vel intellectualis. Moral*is est qui appetitum nostrum informat vel afficit. Hujusmodi habitus sunt virtutes morales & hisce vitia opposita. Notandum hic est quando habitus in virtutem & vitium, dispescitur, illud non tam de perfecto quàm etiam imperfecto habitu intelligendum esse, ut ita etiam includatur opinio vera quæ est virtus imperfecta. Virtus quidem, quia inclinat ad bonum potentia intellectiva, & quidem imperfecto modo id præstat, ideo virtus imperfecta est. *Intellectualis est, qui intellectum informat & afficit, per eundemq; sese exerit. Et hic est vel principalis vel minus principalis. Principalis est, qui propter se experibilis est & addiscitur, ut sunt s. h. habitus Scientia, Intelligentia, Sapientia, Prudentia & Ars Instrumentalis est qui non propter se, sed ob alios videlicet habitus, expetitur & addiscitur, ut Logica, Rhetorica, Grammatica. Ita egimus de prima specie qualitatis, nunc etiam accessum facimus ad explicandam secundam speciem qualitatis, quæ est potentia naturalis & impotentia.*

intellectualis qd?

et vel
el minus
sue infusi

XIV. Quod attinet vocabulum potentia, variè illa sumitur, vel *Transcendentaliter* vel *pradicamentaliter*, transcendentaliter sumitur prout ad modum reliquorum transcendentalium vagatur per omnia entium genera. Pradicamentaliter verò accipitur hoc in loco, prout hic constituit secundam speciem qualitatis, quæ acceptio est hujus loci.

XV. Vox naturalis etiam vario modo sumitur, aliquando *o*pponitur voluntario, aliquando omni eo, quod est animatum, aliquando *o*pponitur violento, Sed nulla hujus huc pertinet acceptio. Non prima, quia huc referuntur omnes potentia naturales, & sic etiam potentia rationales vel voluntaria, non secunda, quia huc pertinent omnes potentia etiam rerum animatarum. Non tertia, nam

nam pertinet huc vis impressa lapidi ad fovendum naturalis, quæ ei sc: competit secundum naturam, at quando lapis movetur sursum, ille motus est ei violentus, qui non competit ipsi ex natura sua.

XVI. Ut igitur intelligatur quid sit potentia naturalis, notandum hic est quod distinctio communiter fieri soleat inter Potentiam Physicam, & Logicam, quæ aliàs etiam potentia Metaphysica Obedientialis & in quibusdam objectiva vocari solet. *Potentia Physica vel Naturalis est, quæ apta est naturaliter habere actum*, dicitur naturaliter, non ut excipiaturs concursus Dei supernaturalis generalis, is enim in omni omnino actione præsupponitur, sed specialis, vel alius concursus causæ præternaturalis. *Potentia verò Logica vel etiam Metaphysica, aut Obedientialis est, quæ non est apta naturaliter habere actum, sed per non repugnantiam, vel quæ non agit aut patitur ex dispositione aut proclivitate naturali, vel naturæ suæ, sed præter vel etiam supra eandem, sic omnia respectu Dei, cui obedire tenentur, habent obedientialem, potentiam ut & naturalia respectu artificis similiter hanc potentiam habent.* Hoc in loco autem intelligitur potentia Physica.

Potentia naturalis

XVII. Illam Potentiam quam huc pertinere dicimus, plenius ita definire placet *Potentia naturalis est qualitas innata, & à natura per se primò ordinata ut sit principium primum alicujus actus*, dicitur in definitione, quod potentia naturalis sit primum principium ut ita discernatur ab habitu, quod non est primum principium, sed est secundariū principium operationis. Si autem potentia naturalis *consideretur* in respectu ad formam suam substantialem ex qua potentia illa ceu ex causa sua propria per simplicem emanationem fluit, consideretur, tunc potentia naturalis non est primum, sed secundarium operationis principium. Additur deinde in ipsa definitione, principium alicujus actus, non verò alicujus operationis, quod ipsum vocabulum aliqui ponunt, & usurpant. Nam operatio tribuitur tantum potentiaæ activæ, sed cum potentia hæc de qua hoc loco agimus, sit vel activa vel passiva, ideoq; ei tribuimus actum, qui & agendi & patiendi principium est. Dicitur præterea in definitione hac, *potentia naturalis esse qualitas, quæ à natura sua primò ordinata sit ad hoc ut sit primum principium actus*, ut ita separetur

Definitio pot

B

ab ipsa

ab ipsa patibili qualitate, quæ primò ordinata est ad perfectionem, determinationemvè subjecti, ita ut abstrahatur ab operatione, quæ si sequatur eam, fit solum concomitanter; Sejungitur etiam hac ratione à figurà, quæ, quia quantitatem sequitur, nullam efficaciam habet.

impotentia

XIIX. Impotentia hïc non dicit puram negationem vel privationem, sed qualitatem positivam, debilem tamen & imperfectam. Alias enim si impotentia diceret puram negationem vel privationem, non posset poni directè in prædicamento. Nam entia realia & positiva, quæ entitatem realem & non fictam habent, sunt in prædicamento directè ut supra in *disputatione nostra quarta collegij* hujus nostri dictum à nobis fuit.

Differentia potentie & impotentie

XIX. Potentia distinguitur ab impotentia hoc modo, nempe potentia exercet actum suum facile, impotentia autem difficulter. Sic facilè exerit potentiam audiendi ipse juvenis, difficulter ipse senex: Sic facilè potentiam resistendi habet ferrum, difficilem ipsa cera, ferrum enim est durum & ita facilè potest resistere, cera verò est mollis, & ita difficulter resistere potest.

XX Quod potentia & impotentia non distinguantur essentialiter & specificè, sed accidentaliter id supra significatum est. Et ita actum est de potentia naturali & impotentia. Pergorecto pede ad definitionem patibilis qualitatis & passionis.

is qualitas

XXI. Patibilis vel passibilis qualitas est, quæ partim passionem circa sensus efficit partim ab ipsa passione oritur. Qualitas igitur patibilis rectè dicitur natura quædam stabilis, quæ aut movet sensum, aut motu aliquo nascitur, & huc pertinent objecta sensuum, specialia & propria, non communia. Propria sunt, lux, color, sonus, odor, sapor, frigus, calor, durities & similia. Communia sunt Motus, Quies, Figura, Numerus & Magnitudo, uti habet Aristoteles lib. 2 de an. r. 64. Passio autem est subita tum animi tum corporis perturbatio. Huc referuntur omnes affectus, ut Indignatio, ira, odium, lætitia & tristitia.

is sensuum sunt hæc et propria et communia.

is

XXII. Passiones sunt qualitates citò transeuntes, patibiles autem qualitates sunt naturæ diu permanentes, ut rubor in facie virginis ex verecundia ortus est passio, quia citò venit iterum abijt cito si

verò

verò sit à nativitate, adeoque constantis & firmæ naturæ, est patibilis qualitas.

XXIII. Hinc facilè elucescit Passionem & patibilem qualitatem non distinguì à se invicem essentialiter, vel specificè, sed potiùs accidentaliter. Nam rubor causatus ex verecundia, & is qui inest à nativitate, non distinguuntur essentialiter, vel specie, sed sunt ejusdem speciei & distinguuntur solùm accidentaliter, quòd non distinguatur specie. patet ex effectu formali eodem, non diverso, qui est constituere hominem rubeū. Hinc jam formo talem syllogismum Ubiq; idem specie est effectus formalis qualitatis, ibi una est specie qualitas. Sed hic unus & idem specie effectus formalis est qualitatis E. etiam una hic specie est qualitas. Major perspicua est. Nam sicuti diversitas essentialis vel specificæ ipsius qualitatis cognoscitur ex effectu formali essentialiter diverso. Ita & identitas essentialis qualitatis cognoscitur ex effectu formali essentialiter eodem. Minor etiam sua radiat luce. Effectus enim unus idemq; formalis ruboris orti ex verecundia, & inherens à nativitate, existit nempe constituere hominem rubeum, & hic datur tantùm diversitas ex eo, quod rubor ille parùm vel multùm duret, ratione causæ permanentis, aut citò transeuntis, quæ differentia accidentaliter distinguuntur. Ita etiam de patibili qualitate & passione. Accedo ad definitionem formæ & figuræ.

XXIV. Figura vel forma est qualitas exterior, orta ex terminatione quantitatis. Ubi distinctionis gratià notandum est, figuram significare hanc quartam speciem, prout abstracta est à substantia, & Mathematicè accipitur formam autem prout in substantia habet, & ita habet respectum ad corpus. Alias hæc duo juxta tritum versiculum ita distinguere. Formam viventis, picti dic esse figuram. *Forma
Differen*

XXV. Notetur etiam hic, figuram non vocari ipsam terminationem sed qualitatem ex terminatione quantitatis orram, ne intelligatur id de termino quantitatis proprio & intrinseco, ut punctis lineæ, lineis superficieum &c. qui termini quantitati sunt essentialiter. Sequuntur Axiomata qualitatis.

XXVI. I. Qualitas qualitati est contraria. II. Qualia recipiunt

B 2 magi

magis & minus. III. Similia & dissimilia aliqua secundum solas qualitates dicuntur. IV. Ut una hirundo non facit Ver. Ita nec una actio parit habitum, sed ex similibus operationibus fiunt habitus. Desumptum est hoc axioma ex *lib. 1. Nic. c. 5. & lib. 2. c. 4.*
 V. Actiones sunt causa habituum, intellige actiones antecedentes.
 VI. Habitus est causa actionum subsequantium. VII. Natura idoneum, habitus facilem ad operandum reddit. VIII. Dispositio præcedit habitum. Et ita utilissimam doctrinam de qualitate claudo, rectè tendens ad considerationem cæterorum prædicamentorum.

De Relatione & Relatis.

XXVIII. Relatio est cujus totum esse consistit in refferri ad aliud, ut Paternitas, Filiatio. Vel ita definiri potest: Relatio est accidens reale, cujus totum esse est unum ad aliud ut ad terminum referre. Cum dicitur in definitione *accidens reale* excipiuntur hinc
 1. Relationes divinæ, quæ non sunt accidentales, sed substantiales.
 2. Relationes rationis, & secundum dici, quæ realia accidentalia dici non debent. Per cætera verba, sc. *cujus totum esse est unum ad aliud* ut ad terminum referre, excluduntur relata transcendentia quorum totum esse non consistit in hoc, ut unum ordinetur vel referatur ad aliud; distinguitur sic porro etiam à reliquis accidentibus prædicamentalibus ipsa relatio, quæ licet habeant respectum ad suum subjectum, non referuntur ad aliud ut ad terminum.

In relatione quinq; inveniuntur. 1. Duo termini. 2. Subjectum. 3. Fundamentum. 4. Fundandi ratio. 5. Opposita relatio.

XXIX. Duo termini sunt, qui ad se invicem referuntur, & inter quos versatur ipsa relatio. Aliàs dicuntur relata, Correlativa, & nonnullis etiam extrema vel extremitates.

XXX. Prior terminus, à quo incipit relatio, vocatur Relatum. Posterior verò terminus, in quem desinit Relatio, vocatur Correlatum.

XXXI. Subjectum relationis est eus absolutum, quod ab inhaerente sibi relatione denominatur, ut, homo ab inhaerente paternitate,

nitate denominatur pater, à filiatione filius, &c. Nota autem cum dicitur, relationem requirere subjectum, id intelligi non de relativo in concreto, sed de relatione in abstracto. Relativum enim in concreto non habet propriè subjectum, sed potiùs est aliquid compositum ex relatione ejusq; subjecto. Subjectum illud à nonnullis etiam extremum vocari solet.

XXXII. Fundamentum est causa seu ratio ob quam subjecto convenit relatio. Mendoza vocat fundamentum *Radice*m seu *principium intrinsecum* propter quod una res aliam respicit.

XXXIII. Fundandi ratio est fundamenti applicatio, seu est conditio sine qua, etiam posito fundamento, subjecto non advenit denominatio relativa.

XXXIV. Opposita Relatio est Forma abstracta Correlati.

XXXV. Res hæc exemplo unico declarata illustrior evadet Dominium est relatio, Duo ejus termini sunt Dominus & Servus ille terminus à quo & relatum: hic ad quem & correlatum vocatur Subjectum Dominij est Abraham, Subjectum verò servitutis est Eleazar Fundamentum Dominij est potestas imperandi, fundamentum verò servitutis est subjectio. Fundandi ratio est Domini ipsius actuale imperium, servitutis fundandi ratio est ipsa actualis subjectio. Servitus est opposita Relatio.

XXXVI. Variæ occurrunt apud auctores relationis & relativorum divisiones. Nam *primò Relatio alia est realis, alia verò rationis*. Relatio realis est, quæ est in rebus ante operationem intellectus, ut est relatio, quæ intercedit inter patrem, & filium. Relatio verò rationis est, quæ fingitur esse, cum non sit. Sic relatio rationis inter parentem & filium demortuos.

XXXVII. II. Relatio *alia est secundùm dici, alia est secundùm esse*. Relatio secundùm dici est, cujus relata præter relativam etiam absolutam habent significationem, seu est res quæ dicitur per modum respectus, cum in re ipsa verum respectum non habeat. Relatio verò secundùm esse est, cujus relata præter esse relativum, nihil habent, adeoq; in nullo alio nisi relationis prædicamento collocantur, ut Paternitas.

XXXIX. III. Relatio est vel *transcendentalis, vel prædicamentalis*.

Relatio realis
Relatio rationis

Relatio secundùm dici
Relatio secundùm esse

110111
nae ad
in
io-
a ad
atio,
Relatio transcendentalis est, quæ ob suam aut communitatem aut eminentiam prædicamentales res transcendit: Relatio verò prædicamentalis, est quæ ad prædicamentum relationis pertinet. Sic inter signum & signatum, est relatio transcendentalis, inter præceptorem autem & discipulum est relatio prædicamentalis.

XXXIX. Quomodo relatio transcendentalis & prædicamentalis distinguantur, hæc de re conferantur Metaphysici, qui hoc discrimen fusiùs declarunt.

XL. IV. Relatio alia est à natura, ut *Paternitas*, alia ex impositione hominum, ut, *venditio*, præceptoreitas.

XLI. V. Relatio *alia est mutua, alia non mutua*. Relatio mutua est, cum in utroq; extremo datur relatio vera & realis, ut, *Paternitas*. Non mutua contra, cum in uno extremo tantum datur relatio realis, ut *Creatio*.

XLII. VI. Relatio *alia est equiparantia, alia disquiparantia*. Relatio equiparantiæ seu æqualis comparationis est, cujus relata sunt ejusdem dignitatis, ut similitudo: Relatio autem disquiparantiæ seu inæqualis comparationis est, cujus relata non sunt ejusdem dignitatis, ut paternitas, præceptoreitas.

XLIII. VII. Relationes ratione fundamenti tale habent discrimen: aliæ scilicet in quantitate, ut æqualitas & inæqualitas, aliæ in qualitate, ut similitudo & dissimilitudo, aliæ in aliis fundari possunt.

XLIV. VIII. Deniq; datur relatio, cujus relata vel exprimuntur communi nomine in plurali, ut *Fratres*, vel distinctis nominibus in singulari, ut *Præceptor & discipulus*.

De Actione & Passione & cæteris prædicamentis.

XLV. Actio est, secundum quam denominamur agere.

XLVI. Passio est actionis receptio, secundum quam aliquid dicitur pati. Actio & passio distinguuntur ratione ratiocinatâ.

XLVII. Vox quando h. l. non sumitur *interrogativè*, ut quando Christus natus est? nec *indefinitè*, ut: Quando Christus institues univer-

universale suum iudicium, etiam de omni verbo otioso nobis red-
denda erit ratio, sed *nominaliter*, prout notat id ipsum, quod ad in-
terrogativum respondetur. Sic ergo Quando notat habitudi-
nem rei durantis ad durationem finitam. Duratio autem est per
mansio rei in suo esse, & est vel infinita, quæ nec initium nec fi-
nem habet vel habere potest, vocaturq; æternitas, vel finita, quæ in
æyū & tempus distinguitur.

XLVIII. Vox ubi non sumitur hinc interrogativè, ut: ubi com-
missum est prælium? Ubi natus est Christus? nec *indefinitè*. Ubi
Christus natus, passus & mortuus sit, sacrarum literarum monu-
mentis fatis superq; constat: sed *nominaliter* prout notat præ-
sentiam rei finitæ ad spatium finitum, adeoq; significat illud ip-
sum, quod ad interrogativum Ubi responderi solet.

XLIX. Situs est dispositio partium in toto in ordine ad locum.

L. Habitus h. t. est habitudo quædam consurgens in aliquo
corpore ex adjacentia vel applicatione alicujus sive vestimenti,
sive ornamenti, sive alterius corporis ad ipsum.

LI. Sequuntur axiomata. I. Relatis inest contrarietas. II.
Relata recipiunt magis & minus. III. Relata recipiuntur IV.
Relata sunt simul naturâ. V. Cognito uno relatorum cognoscitur
etiam alterum. VI. Relata se mutuò definiunt. VII. In relati-
vè oppositis non datur medium. VIII. Actiones sunt suppositorum.
IX. Omnis actio fit per contactum. X. Modus agendi sequitur
modum essendi. XI. Identitas operationum arguit identitatem
essentiæ. XII. Actiones & passionis recipiunt magis & minus,
nec non contrarietatem admittunt.

Tantum.

Corol-

Corollaria.

1. *Animal est accidens hominis, homo Petri.*
2. *An omne Ens sit bonum Resp. Aff.*
3. *An Dei Potentia se extendat ad omnia possible absolute. Resp. Aff.*
4. *An dentur Qualitates occulta. Affir:*
5. *An Magistratus plures Religiones in sua Republica tolerare debeat Resp. Dist:*





Ad Respond.

DE Quali sub Volando nunc disseris, O si
Hoc cum Volando, Gramsi, aliquando
queas!

Veritate potius, quam amore permotus
hæc fundebat.

Georgius Nicolaus Erasmus
Eccl. Lagens. Past.



UT doceas, qualis studiorum dote futurus
Sis, modò de Quali convenienter agis.

M. Matthews Voland/
M.F.



AGgreditur felix hostem qui cinctus utrinq;
Armis & Galeâ, possit quævis victor abire;
Sic Logicis qui præceptis instructus, hic hostem
Felici pugna potis est invadere, palmam
Deportans meritam, laudem cum munere certo
His quia nunc animum munis sub Præsidae docto
Te certans Gramsi, victoria læta manebit

Gratu-

Gratulor atq; precor, Dominus tua cepta. secundet
Vt valeas cunctos de vincere fortiter hostes.

Hæc gratulabundus appof.

JOHAN Harpff/ M.F.



GLoria post duros venit indubitata labores,
De Quali & Quanto, Jane tibi labor est:
Sic monstras Qualem & Quantum sperare queamus.
Te fore, cum doctè differuisse libet.
Si te sic doctis perges, ô Amice probare,
Te doctos inter gloria magna manet.

Hæc in vere amicitia sign: convictori suavissi-
mo, amico charissimo apposui

Johan Hövisch/
Fehm: Hols.




NUm quoq; te Grambsi Logicè discurrere claro
Praside VOLANDO dulcis amice juvat?
Sic est. Cur facis hoc? ut verè scilicet olim
Doctorum in numero nomen habere queas.
Laudo conatum JOVAM precor atq; benignum
Dignetur captis semper adesse tuis.

In candidi amoris tesseram

f.
Jacobus Dringenberg/
Rostock.






XL. *Demonstratio quæ fit à causa remota* conclusionem negativam, nunquam affirmativam remotâ, non necessariò ponitur effectus, sublatâ remotâ, tollitur effectus. Unde syllogismi demonstratâ sunt in *secunda figura* in modo *Camestres* quid *respirat, habet animam sensitivam, Lapis sensitivam. E. lapis non respirat.* In hac demonstrativa est causa remota respirationis, non positâ animâ sensitivâ, non ponitur respirationis, positivam sensitivam habent, non tamen respirant. Proxima respirationis. Exinde perspicuum est, *animâ sensitivâ* non posse procedere ad effectum, respirationem. Negativè tamen optinenda, Sublatâ enim causâ remotâ, effectus demonstratio à causa remotâ habet aliquam convenientiam absolute ita dicta, quia utraq; efficitur ab ea. 1. quia non est causa proxima, per se. 2. quia propositiones non sunt immediatæ. De effectu longè est perfectior illâ, quæ est à causa demonstratio ab effectu propositiones immediate non contingit in demonstratio à causa remota quata causa est, neque propositiones immediate.

XL. Sed dicat fortassis aliquis hanc divisionis non esse immediatam, sed dari alia generum idq; probet objiciendo. 1. Averrois opinio genera demonstrationum, aliam *τὴν ὄν*, aliam *τὴν ἀποφάντων*; quâ demonstratur *τὸ ὄν* & *διόν* simul. In *com. 95. & in epist. cap. de demonstratione & lib. 2. alibi Resp.* Objicienti hoc dubium, non esse demonstrationem aliam *propter quid tantum*, aliam *simul*. Nam omnis demonstratio *διόν* involvit

2. Objiciunt & alij hoc modo: Si datur demonstratio ad effectum, & vicissim ab effectu ad causam, demonstratio ab effectu ad effectum alium necessarium, quia propter necessariam effectuum con-

C



on-
usâ
re-
fa-
yic-
am
a
po-
am
usa
no-
ffe-
se-
de-
de-
de-
rat.
; ab
a in
od
da-
ra-
io-
ria
de-
ost.
&
on-
uid
usa
de-
m.
fla-
ria